Dissertatio Philosophica

De

MONOGAMIA PERPETUA OMNI NUPTIARUM GENERI PRÆFERENDA,

quam,

Consentiente Amplissimo Phil. Ordine,

Præside

FREDRICO CEDERSCHIÖLD,

Moral. Professore,

Pro Laurea

exhibet

JOH. V. HOFLUND,

Blekingus.

Die xv Junii MDCCCXXXII.

P. II.

Londini Gothorum.

Typis Berlingianis.

MDCCCXXXII.

vel inprimis census hominum spectandos arbitrantur, nec de facultatibus quidem prætereundum arbitror. Et sane de posteris, et his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus."

Plinio adstipulari etiam videtur Pufendorf 6), ita ratiocinando: "Igitur non modo non est necessarium, sed stultum insuper, juvenes animum ad uxores applicare, qui sibi suisque nil nisi strenuam esuritionem possint polliceri, ac civitatem mendicabulis sint impleturi, aut qui ipsi supra pueros parum sapiant. Imo recte faciunt, qui matrimonium differunt, quo commodius per cælibatum animum excolant, ac ad præstanda egregia societatis humanæ ministeria sese præparent; id quod uxoratis per mores ci-

6) *In Jure. Nat. et Gent. Londini Scanorum* 1672, pp. 759, 760.

vitatis, aut genium feminarum non ita licebat. Præterea cum matrimonio sit opus, tum ut per sobolem humana species conservetur, tum ne vaga libido decus societatis humanæ polluat, apparet, siquidem neuter horum finium detrimenti quid passurus sit, non reprehendendum eorum cælibatum, qui probabiliter prævident, sese in cælibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles sese deprehendunt, plus humano generi, aut civitati suæ utilitatis posse præstare, quam uxoratos. Adeoque si quis sub limiori agatur genio, ut stimulos illos vel non sentiat, vel facile retundat, quique alio modo, quam per munus proletarii, bene merendo utilem sese civem universi præbere queat, hautquidquam putandus est per naturam obligari, ut omnino præclaris suis conatibus per muliebres illecebras velut remoram injiciat."

Singulos homines, amoris libidini satisfacturos, Lex *rationalis*, quam *perfectam*, sive

Externam dico, necessitate solum adstringit fugiendæ illius fæditatis, qua sui sexus hominibus, aut animalibus brutis ad explendam libidinem turpiter abutuntur, aut quidquam in eo genere faciunt, in quo præter voluptatem veneream nihil spectent. Quid? quod, officii solum *imperfecti*, sive *interni* ducendum est iis, qui pactum conjugale sancire voluerint, Monogamiam Perpetuam omni nuptiarum generi præferre, nec vi externa, Præcepta morum Rationalia si spectas, ab aliquo extorqueri hoc ipsum officium potest 7).

Priusquam Monogamiam perpetuam omni nuptiarum generi præferendam esse probavero,

---

7) Das Eingehen einer Geschlechts-verbindung kann, an und für sich und absolute betrachtet, nie Gegenstand eines befehlenden Gesetzes seyn. H. C. W. SIGWARTS *Wissenschaft des Rechts nach Grundsätzen der praktischen Vernunft. Tübingen*, 1828, p. 129, §. 130.

paucis ostendam omne conjugii genus legi rationali *perfectæ*, sive *externæ*, esse amicum, vel saltem non inimicum, dummodo ii, qui conjunguntur, pleno rationis et libertatis usu gaudentes, omnia, quæ pactum spectant officia, colant, liberorumque, qui in hoc, vel illo, conjugio nascuntur, educationi consulant.

§. III.

Polygamiam, Matrimonium inter proximos et propinquos, Matrimonium conscientiæ, sive Clandestinum, Matrimonium ad Morganaticam, sive Morgengabicam et Matrimonium ad Thalac, sive Amazonicum non cum lege rationali *perfecta*, sive *externa*, sed cum lege *imperfecta*, sive *interna* pugnare, paucis probare conabimur.

Polygamiæ, ex adjectivo πολὺς multus et substantivo γάμος *connubium* derivatæ, multitudinemque connubiorum, quam Sveci *månggifte* dicunt, significantis duplex genus est. Aut enim

simplex, aut non *simplex*, sive *mixta* habenda. Illa in unica solum societate conjugali cernitur, et *Polygynia* nominatur, quando unus vir plures in matrimonio habet uxores, *Polyandria* vero, quando una femina pluribus nubit viris. Hæc in unione plurium connubiorum, seu societatum conjugalium, plerumque communione uxorum dicta, ponitur. Sed tantum abest, ut hæc, sive Polygamia mixta, societatis conjugalis nomine sit ornanda, ut potius, quoniam pluribus connubiis jam initis constat, quorum sua cujusque jura et officia ejusmodi communio violat, adulterii nomine sit insignienda, sanæ rationi et conjugali societati inimicissima. Polygamiam, ratione temporis, in *simultaneam* et *successivam* plerumque dispescere philosophi solent. Quæ dividendi ratio quamvis auctoritate apud doctos viros diu valuit, tamen ideo non approbanda est, quia constat inter omnes, qui rem æqua lance pensitant, conjugium legitime solutum

priores conjuges in cælibatum restituere eosque officiis conjugum liberare. Nostra jam interest extra dubium ponere Polygamiam, non solum Polygyniam, quæ plerumque Polygamia nominatur, verum etiam Polyandriam legi rationali *perfectæ*, sive *externæ*, non esse contrariam. Per legem enim *rationalem perfectam* omnia licita sunt, quæ neminem directe lædunt. At Polygamia, si modo contrahentium libero consensu nititur, atque omnibus, quæ pacta spectant, virtutibus ornatur, neminem lædit, (volenti enim non fit injuria.) Ergo etc. Infirmo itaque nititur fundamento eorum argumentatio, qui Polyandriam Juri Naturali generatim spectato ideo adversari statuunt, quia ejusmodi conjugium prolem facit incertam et impedimenta ponit liberorum educationi. Quod quidem argumentum duo potissimum momenta continet. Primum enim urgetur, prolem, quæ ex Polyandria oritur, esse incertam; deinde ignorantia prolis

educationem impediri. Ad illud ita respondebimus: Proles non solum Polyandriæ, verum etiam Monogamiæ, de facto, ut dicitur, sæpe est incerta. Docet enim experientia feminam, uni solum viro nuptam, rem cum pluribus viris habere, prolemque æque incertam edere ac si in Polyandria viveret. Regula igitur: *nuptiæ probant sobolem*, vel *pater est*, *quem nuptiæ dsmonstrant*, juris solum est civilis, quod monogamum, quamuis de prole esset incertus, eam tamen, donec uxoris probaverit infidelitatem, alere cogit. Ad hoc, sive posterius argumenti momentum, ita respondere liceat: omnibus viris, qui unam communem habent uxorem, eadem simul sunt officia eademque jura, ac si unus eorum hanc feminam in matrimonio haberet. De cetero non is solum pater dicendus est, qui liberos ex se genuit, sed qui patris erga liberos officio fungitur, vel se functurum esse promisit. Quoniam igitur plures viri, una

uxore utentes, promiserunt se fetus, quos eduxerit uxor, simul educaturos, dubium non est, quin hi omnes, qui personam *moralem* sustinent, officio patris sint satisfacturi, liberique eadem erga eos habituri sint officia, quæ liberi uni personæ physicæ, patris officio fungenti, se debituros esse fatebuntur. Quamquam vero Polyandria legi naturali *externæ*, sive *perfectæ*, vel fini matrimonii, liberorum nempe procreationi et educationi generisque hominum propagationi et conservationi, directe non repugnat, illam tamen, quoniam *indirecte* hominum valetudini, quæ felicitatem et perfectionem comprehendit, officit, vel saltem non tam bene, quam Monogamia perpetua, consulit, legi naturali *internæ*, quam maxime adversari, pro certo statuere ausim, id quod fusius explicabo, cum rationes, cur Monogamia perpetua omni nuptiarum generi sit anteponenda, fuero allaturus.